

LXXXVIII.

1347. *Feria 5 ante dominicam Oculi. Zagrabiae.*

Privilegium oppido Krapina a Ludovico I. Rege concessum.

Nos Ludovicus, Dei Gratia Rex Hungarie, significamus presentium per tenorem memorie commendantes. Quod ciuibus et hospitibus nostris sub castro Krapyna existentibus et commorantibus, ac ad eosdem convenientibus, hanc libertatem de liberalitate regia duximus faciendam. Quod quicumque de ipsis ciuibus et hospitibus tria Jugera de terra habet et tenet, ille annuatim quinquaginta denarios banales soluere teneatur, quorum viginti quinque soluet in festo beati Michaelis Archangeli, et iterum viginti quinque denarios banales soluet in festo beati Georgij Martyris, et non plures. Item, descensum, uulgariter Zallas dictum, bis in anno soluere teneantur, hoc modo: Quod pro vno descensu vnam pecudem pascualem, sexaginta denarios banales ualentem, centum panes, sex pullos, quinque cubullos de auena, tres cubulos de uino, vnam libram de pypero et croco, ac sal dare debent. Item alia uice eodem anno. Similiter quicumque ipsorum dominus perueniet, prandium uel cenam dare teneantur. Item homicidium eorundem ciuium et hospitum nostrorum sint viginti quinque marce, et non extendat se vltra uiginti quinque marcas. Item quilibet eorum possit iurare pro media marca et iuramentum eorum talium quorumlibet, qui uillicatum in medio eorundem non tenuerunt, extendat se ad mediam marcam. Tales uero ex ipsis, qui uillicatum tenuerunt, possint iurare super vna marca, et iuramentum talium, qui uillicatum tenuerunt, ualeat vnam marcam. Item Castellanus noster tres causas in medio ipsorum iudicare possit, uidelicet causam furti, causam uiolentie seu potentie, et causam homicidii seu sanguinis, in quibus tribus causis, duas partes birsagij Castellanus noster, et tertiam partem uillicus ipsorum accipiet, alias omnes causas, inter eos emersas, et emergentes, uillicus eorum, quem comuniter eligent et perficient, iudicandi habeat facultatem. Item si causa, in predictis tribus terminis et articulis causarum, iudicio Castellani nostri reseruatis, adiudicata fuerit ad iuramentum, tunc ille, qui iurabit, in loco iuramenti quadraginta denarios persoluere pro expurgatione sui teneatur, sed in causis per uillicum iudicatis nihil soluere teneantur. Item, duellum inter ipsos adiudicari et fieri non possit. Item si qui ex ipsis heredum solatio destituti decesserint, illi de omnibus bonis et possessionibus suis liberam habeant, sicut uoluerint, facultatem, tantummodo Castellano nostro vnum fertonem, uel vnam pecudem pascualem, cuius cornua ligaturam capere, et in cuius cornibus ligatura stare possit, dare teneantur. Item, libere veniant, et liberi clara luce recedant, saluis rebus eorum et personis, tantummodo pro terragijs quilibet eorum duodecim denarios